UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitivm Perfectionis, Et Virtvtvm Christianarvm

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

III. Alia bona & commoda recensentur, quæ ex hac sui vota obligatione consequuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40105

Visual Library

pugnaculis obuallata ac cuſtodita, à quibus adaugeatur, in religione, quam aliam maiorem, quæ tam euidenti periculo expoſita ſit, vt in mundo eſt.

In religione melius Deo ſeruitur, quam in ſeculo.

Hinc quoque manifeſtum fiet, quam grauis illa nonnullorum nouitiorum ſit tentatio, dum ſibi perſuadent tam bene ſe in ſeculo orationi & ſolitudini vacaturos, atque in religione, & tam ibi quam in hac bono alijs exemplo futuros. Quod mera dæmonis illuſio eſt, vt hoc pacto illos deturbet eo, quod iam poſſidet, religionemque deſerere faciat. Incipiet quidem in ſeculo quis deuotionis exercitus ſerio incumbere, ſingulis ſeptimanis peccatorum confeſſionem inſtituere, orationem mentalem frequentare, occaſiones omnes illecebroſas, caſtitatis conſeruandæ cauſa, declinare; ſed quoniam ſuæ relictus eſt libertati, nec perpetua quadam ſe obligatione obſtrinxit, & tot illi aſſidue impedimenta & obſtacula occurrunt; hinc hodie quidem orationem deſerit, cras confeſſionis vſum intermittit, mox propter varia hominum cõmercia & cõuerſationes diſtrahitur, denique tandem ſimul amittit omnia. Quotidiana experiẽtia irrefragabilis rei huius teſtis eſt. Religioſus vero hæc omittere nequit, nec à profeſsione & ſtatu in quo per vota poſitus eſt, reſilire. hæc quippe ſunt tria illa vincula, de quibus ait Spiritus ſanctus, *Funiculus triplex difficile rumpitur*, id eſt, quod triplici hoc votorum nexu cõſtrictum & ligatum eſt, ægerrime frangas, aut diſſoluas.

Eccleſ. 4.12

Quamobrem per tria hæc vota fit, vt hoc vitæ genus ſit religio & ſtatus perfectionis. Vnde etiam ſancti Patres aſſerunt, Apoſtolos, à Chriſto Ieſu edoctos, quoddam religionis initium in ſeipſis feciſſe, & eius velut fundamenta poſuiſſe, Chriſto Domino ſeſe conceptis votis obſtringendo, tum, cum relictis omnibus ſecuti ſunt eum; atque inde, ex ipſorum traditione, quæ ab ipſo Chriſto Domino emanauit, in Eccleſia Catholica vſu perpetuo iam obſeruari, & inductum eſſe, vt Religioſi per tria hæc vota ſe Deo dedicent.

Aug lib 14. de ciuit. c. 4 Hieron. S. Thom. 2. 2. q 88 art. 4 ad 3 VValdenſis ex Dionyſ lib de Eccl. hierar. c. 6.

CAPVT III.

Alia bona & commoda recenſentur, quæ ex hac ſui per vota obligatione conſequuntur.

PRæter id quod diximus, aliud quid, magnam cuilibet vtilitatem & commoda permulta afferens, in votis continetur, nimirum, quod ex voto fit, laudabilius maiorisque valoris ac meriti apud Deum eſſe, quam quod voluntarie ſine illis fit.

Pluris eſt bonũ quod ex voto fit, quam quod ſine illo.

Tres huius rei rationes aſsignat S. Thom. eaſque ſolidas & efficaces. Prima eſt, quia votum eſt actus religionis, quæ inter omnes virtutes morales princeps eſt & excellentiſsima; ac proinde aliarum virtutum operibus valorem addit & pretium, efficiendo vt ea fiant opera religionis, res ſacræ, cultus diuinus, ſacrificium, & res Deo ſanctè dedicata & promiſſa. Verbi gratia, ieiunium, quod actus eſt temperantiæ, votum efficit, vt etiam ſit actus religionis, itaque duplici via ſit opus meritorium: primo ex virtute ipſiuſmet operis ieiunij, deinde ex eo, quod ſit actus religionis. Atque adeo generaliter in omni eo, quod ex obedientia facimus, duplex cõſequimur meritum; vnum quidem ipſius operis, alterum vero obedientiæ, ac proinde magis tunc per opera noſtra meremur, quam ſi eadem ex proprio arbitrio, & voluntarie, ſine obedientia aut ſine voto faceremus. Melius porro id intelligetur, ſi eius contrarium inſpiciamus. Quemadmodũ quando quis contra votũ caſtitatis peccat, duo peccata mortalia committit, primum contra caſtitatem, & ſextum decalogi præceptum; alterum vero maius, ſacrilegij, infringendo votum, quo ad eam obſeruandam ſe obſtrinxit: ita ex aduerſo, dum quis votum caſtitatis obſeruat, duplex ſibi meritum comparat, vnum virtutis, caſtitatis, & obſeruantiæ præcepti Dominici; alterum vero maius,

2. 2. q. 88. art. 6.

Quod ex voto fit, actus eſt religionis.

ro maius

to maius, videlicet adimpletionis voti Deo nũcupati; quod eſt quidem actus virtutis religionis, atque ita de reliquis votis.

Secunda, cur maioris meriti id ſit, ratio eſt, quia maius facit, ac plus dat Deo, & offert, qui quid ex voto facit, quam qui id ſine illo facit: quia ille nõ ſolum dat quod facit, verum etiam (quod multo maius eſt) ſuum non poſſe quid aliud facere: libertatem quippe ſuam Deo offert, qua nihil offerre poteſt dignius & eminentius. Laudabile quidem & bonum eſt, deſerere omnia propter Chriſtum; qui tamen paupertatis votum facit, plus præſtat, quia non modo deſerit ea quæ iam reipſa poſsidet, verum etiam ipſam eorum habendorum potentiam, quod multo eſt amplius. Dat, inquam, Deo arborem vna cum fructibus. Quę egregia eſt ſimilitudo, quam e D. Anſelmo adfert ad hoc declarandum S. Thomas. Sicut, inquit, plus facit & dat, qui alicui arborem dat cum omnibus fructibus, quam qui ſolum fructus decerptos amico mittit, arborem ſibi retinens: ita Religioſus arborem vna cum ſuo fructu Deo dat. Mundani, vt ſummum, Deo dant arboris fructum, quædam inquam opera bona; at non dant arborem, ſcilicet ſeipſos, quia hanc ſibi retinent, & manent ſui; at religioſus etiam ſeipſum dat arborem videlicet & fructum, opus æque ac voluntatem & libertatem, atque adeo omnia offert Deo; non iam amplius eſt ſuus, nihil quod det, illi eſt ſuper, cum omnia donarit. S. Bonauentura alia id ſimilitudine exponit, atque, Quemadmodum plus alio dat, qui non ſolum rei datvſum, verum etiam proprietatem; ita religioſum, qui Deo per vota ſe nuncupat, amplius illi dare, dignius que ſui ſacrificium facere, quam ſeculares, propterea quod non opera ſua ſolum det, ſed etiam voluntatem, & ſuam ad quid aliud faciendum illicentiã, adeo vt ſe Deo tam quoad vſum fructum, quam quoad proprietatem attribuat & dedicet.

Tertia, ob quam maioris meriti eſt quod ex voto fit, quam quod ſine illo, ratio, hæc eſt, quia, ſicut operum exteriorum bonitas potiſsime à voluntate facientis ortum habet: ita quo voluntas futura eſt melior, eo etiam opera, quæ ab ea procedent, meliora futura ſunt. Iam in cõfeſſo eſt, quanto voluntas erit ſtabilior, conſtantior ac durabilior, tanto etiam eam meliorem fore; ita namque minus incidet in id quod Sapiẽs reprehendit, *Vult* modo, *&* modo *non vult piger.* Quin & apud Gentiles Ariſtoteles docuit, inter virtutis conditiones non poſtremum eſſe, *vt firmiter & immobiliter operetur.* Hoc porro agit votum, vtpote quod homini in bono opere firmitudinem dat, & ſtabilitatem, itaque ipſum multo reddit perfectius. Sicut ex aduerſo Theologi docent, eum qui in peccando obduratus eſt, grauius peccare eo, qui aut ex infirmitate peccat, aut ab inopinata aliqua paſsione occupatus: quod ille voluntate in malo magis radicata & firmatam habeat. Vnde etiam id genus peccati inter peccata, in Spiritum ſanctum committi ſolita, referunt. Sic bonum opus firmiore, ſtabiliore, & ad bonum innatiore voluntate facere, longe perfectius eſt, & magis meritorium, quam ſine ea.

Ob firmitatem boni promiſsi.

Prou 3 4.

2. Ethic. c. 4.

Huc accedit, quod, ſi hinc noſtram conſideremus imbecillitatem, illinc vero dæmonis in nobis tentandis inſolentiam ac pertinaciam, nullum conuenientius ad hoc propoſitum inueniri, tam ad debilitatem noſtram corroborandam, quam dæmoni portam occludendam, poſſe remedium videatur, quam Deo nos per hæc vota obſtringere. Nam, ſicuti qui ſplendidas opulentæ alicuius virginis nuptias ambit, mox vt alteri eam nupſiſſe comperit, omnem potiundi ſpem abijcit, omneſque illius conatus & ſtudia concidunt: pari modo dæmon, videns hominem per hæc vota Deo iam velut deſponſatum eſſe, plane de eo ad mundana reducendo deſperat, & perſæpe propterea ab eo tentando ceſſat, dum timet, ne hæc tentatio maioris ſit gloriæ, & illuſtrioris coronæ in cœlo occaſio futura, & inde ſecuturum ſibi ſit diſpendium, vnde magnum ſperabat compendium.

Votũ aſtringi contra tentationes prodeſt.